

Caesar, quem nuper verbis & scriptis Carolus Gandavensem se pro Caesare gerentem vocabas? Ita enim compellaverat eum misso per Feciale provocatorio libello. Cum ille pergeret, atque ut se captivum pro dignitate haberet, constanti vultu rogaret, Caesar nihil aliud respondit, quam se pro merito illum accepturum, aspernantique similis obverso tergo discessit. Deinde datus est in custodia una cum Ernesto Brunsvicensi, qui simul captus fuit, tribuno militum. Langravio etiam morte una cum Saxone damnatus, dilata capitalis sententiae executione, ambo per alios Principes intercessores vitam duris tamen conditionibus obtinuerunt.

19. Mirifice divinum praesidium & providentia effulsi in preliis, quae Helvetiorum Catholici pagi adversus haereticos pagos prosperrime gesserunt ann. 1531. ex tredecim Helvetiorum pagis, quinque opibus & civium numero longe reliquis, qui a Catholica fide deflexerunt, inferiores, avitam religionem constanter retinuerunt, quae ex causa reliquis octo despectui erant, atque ab eis continuis grassationibus lacerabantur, suafore & impellente Zuignio, in odium sacrae Religionis, quam professerant. Primo igitur in praelio octo millium Catholico advenerunt viginti millia haereticorum Catholici strenue adversarios adorti, eorum tria millia occiderunt, aliosque totidem captivos abduxerunt, reliquis in fugam versis; sed quod ingenti fuit emolumentum, mortui sunt belli auctores praecipui, qui in prima acie collocati fuerant, ut strenuitate sua alios animos adderent. Inter hos belli fax & incensor Zuigniglius pugnantem cecidit. Observatumque fuit trecentorum Senatorum numerum, aliis in pugna necatis, fuisse ad septem duntaxat redactum. Relata vero sunt ex pugna complura signa militaria, inter quae fuit vexillum maximum pagi Tigurini, & tormenta muralia novendecim, quadragintaque castrensis. Quamquam autem nulli dubium erat, quin illa omnia Dei optimi maximi felicissimis auspiciis fuissent confecta, mireque ipsius Zuigniglii interitus hostes perterritisset: multitudine tamen & numero suorum confisi, iterum praelio decertare, fortunamque experiri decreverunt. Itaque brevi redintegratis viribus, delectisque ex omnibus pagis haereticis militibus, aliisque quotquot potuerunt auxiliariis Germanorum, qui superiore conflictu non potuerant interesse, in quinque pagos castra moverunt. Sed hi subito & praeter omnem spem hostium concursu usque adeo acri in eos impetum fecerunt, ut eum sustinere non valentes, loco pulsi, deinde dissipati universi terga verterint. Quos Catholici insequuti, compluribus captis, magnum eorum numerum trucidarunt. Multos quoque ex illis repentinus terror ac fuga in quosdam locorum angustias impulit, quibus interclusi, ex praeruptis altissimisque rupibus, Catholicis urgentibus, se praecipitare.

20. Hoc certamine felicissime ab Orthodoxis confecto, cum Lucernenses, qui inter pagos Catholicos in maximo habentur honore, aliquot oppida ab hostibus intercepta recepissent, ea qua Christianos decuit mansuetudine usi, Legatos de communi quinque pagorum consilio ad Tigurinos miserunt, qui testarentur, se quaecumque fecissent, nullis privatis inimicitiis, sed tantum repellende iniusta aggressionis, & tuendae avitae Religionis, cujus causa fuerant vexati & lacerati, fecisse; & rogare, ut depositis deinceps simulatibus ad pristinas amicitias & foedera rediret. Tigurini his commoti, Deique advertebant manifestam pro injuriam passis protectionem, omnes qui hujus secundae expeditionis auctores fuerant, ut publicae quietis perturbatores confestim e suo pago expulerunt, & antiqua foedera instaurarunt.

21. Praeter novas terrarum cognitiones, quae praecedenti saeculo per navigationes Christophori Columbii evenerant, & Americi Vespucii, quorum hic Florentinus, ille Genuensis erat, isto quoque 16. saeculo aliae quoque regiones Europae incomperatae innoverunt. Anno quippe 1497. Emmanuele Lusitaniae Rege naves & sumptus conferente, Vasco Gama, nobilis Lusitanus ex litore Olyssiponensi cum quatuor navibus solvens 7. Idus Julii, postquam primum insulas Fortunatas, deinde insulas Viridis promontorii, quas antiqui Hesperidas dixerunt, versus meridiem cursum promovens, magnis superaretis difficultatibus & tempestatibus, suorumque comitum reductum in patriam postulantium rebellioribus, primum omnium Bonae Spei promontorium praetergressus est, quo circumducto in Orientem deflectens, Calecutum pervenit, urbem peramplam, & mercatu aromaticum celeberrimum Orientis emporium. Incola idolorum cultores, umbilico tenus nudi caetera usque ad tibias hombycina fere gossipina veste contegebant. Rex ejus loci potentissimus est: cui ceteri Malabares tanquam Domino parebant, unde illum ferme Zamorinus, id est Imperator, dicebatur, a quo perhumane exceptus Gama pro Lusitana gente obtinuit commercii facultatem. Inde

iter idem, quo profectus erat, iterum emensus post biennium cum duabus navibus & sociorum tercia parte Olyssiponem appulit ad finem Augusti 1499.

22. Exorto pridem inter Reges Castellae & Lusitaniae dissidio de Molucis insulis, unde aromata advehuntur, ad eusnam eorum partem in divisione novi Orbis a Romanis Pontificibus facta illa insula pertinerent; Ferdinandus Magellanus Lusitanus ingentis animi, vit a proprio Rege Emmanuele alienatus, eo quod praemis speratis ex navigatione Indica sub Albuquerque facta frustratum quereretur, ad Regem Carolum, postquam ex Belgio in Hispaniam appulit, se contulit, pollicitus se illi brevioris aditus lactenus incognitum per Oceanum ad Molucas aperturum. Inde acceptis a Carolo quinque navibus optime instructis, Hispani solvens post immensos labores directis inter occasum & meridiem proris, demum ad tertium & quinquagesimum ultra mediam caeli plagam gradum, reperit fretum, quo uterque jungitur Oceanus, deinceps ab ejus nomine dictum Magellanicum. Inde per vastissimum Oceanum insulam Subam attingit, auri feracem & incolis frequentem, cujus Regulus amicitiam simulans Magellanum cum aliquot praecipuis ejus sociis in convivium vocatum proditorie occidit. Reliqui vero socii ad Molucas tandem cum duabus navibus pervenerunt. Corais ibi subito absente Lusitana classe aromatibus in speciem ac fidem navigationis, atque ex duabus navibus altera ad scopulos allisa, quae reliqua erat diverso itinere praetergressa Bonae Spei promontorium, primum post omnium hominum memoriam, universi terrarum Orbe circumnavigato, Hispaniam pervenit, tertio postquam inde solverat anno. Huic navi *Victoria* nomen fuit.

23. Anno 1520. Ferdinandus Cortesius, ex Hispania Baetica nobili genere ortus, capta Mexica Mexicani Imperii capite, omniumque novi Orbis urbium praecipua, atque in ea Monteluma illius multarumque provinciarum Rege capto, eoque sive per imprudenciam, sive de industria caso, Imperium Hispanorum Regi fundavit, quod nunc *Nova* dicitur *Hispania*, missis subinde Hispaniam colonias. Idem Cortesius amplissimam & mirificam civitatem expugnavit, dictam Themiltitam, in medio lacu sitam, in modum Venetiarum navigis undique perviam, diversis pontibus terrae adnexam. Nec vero difficile fuit hominibus ferro & fulmine machinis armatis & equitibus peritis, feminulos inermes, nostrisque pugnis inassuetos, omnem ferri usum ignorantes, debellare, ac pecorum ritu horrendaque immunitate miseros & innocentes trucidare, aut intolerabili servitute opprimere.

24. Franciscus Pizarrus Hispanum alterum Hispaniarum Regi acquisivit Imperium: primum enim Peruam invenit provinciam, cujus Metropolis Cusco magni civitas nominis Incarum, id est, regionis illius Principum subiebat Imperio. Capto regionis Inca, id est Rege Atabalippa, quem contra datam jurejurando fidem, ut indicaret, si quos occultos haberet thesauros, una cum fidelissimis ejus ministris, nulla innocentia, nulla justitia, nulla regiae dignitatis habita ratione, tormentis laceratum, & ignibus ustulatum strangulavit. Subditos autem ejus perfodiendis altissime teris ad eruumdum Peruam aurum, aliisque laboribus & fame, aliisque egestatibus, per immanam avaritiam oppressos, majori ex parte interemit. Ejus vero milites & ministri, quibus pro stipendio erant rapinae, omniumque criminum impunitas, omni licentia grassabantur, imitatores Ducis ac domini sui. Denique Verrazanus Florentinus anno 1525. auspiciis Francisci primi, detexit versus Septentrionem in Orbe novo supra Floridam, regionem habitatum hominibus barbaris & incultis, quae Canada dicitur, cui postmodum *Nova Francia* inditum nomen. Tota regio inculta est & inaccessa, suisque possessoribus infructuosa: eo tamen misse sunt ex Francia coloniae incolis barbaris peritiles, ad erudiendos illos & imbuendos Christiana religione, & civilibus artibus; struxeruntque locis opportunioribus nationes, ad arcendos finitimos Barbaros, a quibus Canadenses assiduis incursionibus infestabantur, & capti devorabantur.

25. Hoc eodem quoque saeculo Japonia nostris innovit, tribus praecipuis constat insulis, aliisque plerisque minoribus, quae interfluentibus distinguuntur Euripis. Praecipua insula vocatur Meaco, sedes praecipui Regis, cui subsunt per varias insulas dispersi minores Reges; primam regionis notitiam habuere mercatores quidam Lusitani, procellosis ventis illas in oras impulsis, sed ad praedicandum populis Evangelium primum in plagas illas penetravit Apostolico spiritu repletus Franciscus Xaverius, e Societate JESU, vita & miraculis suspensus, qui post plurimas India gentes ad fidem Christi conversas, in Japoniam pertrans innumeros ex idololatria ad Christi cultum traduxit. Deinde cupidus Evan-

gelii

gelii per amplissimam Sinarum regionem propagandi, vicinam insulam Sancianam adit: in qua dum occasionem Sinas ingrediendi praestolatur; gravi superveniente morbo, solus & omni humano solatio destitutus, divino astante amore, ad caeleste regnum migravit quarto nonas Decembris anno Christi 1552. & peregrinationis suae Indicae undecimosa.

26. Solimano Turcarum Imperatori, qui quas commemoravi clades in Pannonia & apud Rhodum intulit, successit filius Selimus, qui Cyprum regnum Christianis ademit capta Famagusta, quam tuebatur Marcus Antonius Bragadinus Patricius Venetus incredibili virtute ac fortitudine, atque indefessis defensorum ad paucos reductorum laboribus; tandemque extrema urgente fame, disiectis per murales machinas moenibus & propugnaculis, nullaque relicta subsidiorum spe, deditio facta est honestis conditionibus utrinque conventis, quarum tamen peridos infraclor Multapha, quem Selimus, huic bello praefecerat, quique antea Nicolam Cyprum urbem expugnarat, Bragadinum apprehensum contumeliose elusum artibus multavit; deinde barbarica immanitate excoriavit; quo in tormento vir fortissimus ad ultimum usque spiritum Christum invocare non intermisit. Qua percussus indignitate sanctissimus Pontifex Pius V. sacrum contra Turcas bellum indicit. Igitur contractis in unam classem Pontificis, Hispanis, Veneticisque navibus, duce Joanne Austro, Caroli V. Caesaris filio notho, pugnatum est ad Neupachum vulgo *Lepanto* in sinu Corinthiaco, qua pugna victi barbari, eorumque ducentae tritremes partim captae, partim depressae, Turcarum caesa vel captiva fuere viginti quinque millia; reddita vero libertati ex tritremibus Turcis viginti Christianorum millia. Dies memorabilis hujus victoriae fuit Octobris 7. ejusdem anni, quo capta fuit Famagusta dicta olim Salamis 1571. Confederata Classis magnum ex hac victoria consequi potuerat emolumentum, cum essent Barbarorum portus & stationes navibus evacuae, terrore etiam animi illorum consternati; sed dissidentibus Christianis Ducibus absque ulla alio opere praetio classis discepta est. Selimus qui accepto cladis nuncio fuerat terrore percussus, animum recepit, suisque addidit, dicens, accepto de classis nostrae dissolutione ac reditu nuncio, sibi a Christianis abrafam esse barbaram, quae cito cresceret, se vero occupata Cypro abscessisse illis brachium, nunquam recuperandum. Hujus Selimi secundi ays Selimus primus maximo incremento Turcicam dominationem auerat, duabus amplissimis subjugatis provinciis Aegypto & Syria, quibus Sultanus Aegyptus dominabatur, validissimis expugnatis urbibus Damasco Syriae & Cairo Aegypti, quae victoria post initium contigit hujus decimi saeculi, anno scilicet 1517. quo Mammalorum sive Circassorum dominatum extinxit, eorumque Sultanum Tomambasum suspendio apud Cairum necavit.

27. Franciae regnum haereticum, quos Hugonotos vulgus appellat, Regibus peraeque ut Ecclesiae rebelles, continuus & civilibus bellis totos septuaginta annos infestum habuere. Nihil intentatum Franciscus primus, ejusque filius Henricus secundus reliquerunt, ut nascentem haesim suffocarent; sed his vita functis, succedente in regnum Francisco secundo Henrici filio, aetate juvenili & inexpecta, haereticis armis & facibus instructa caput extulit Ludovico Borbonio Condaco regii sanguinis Principe, qui hac peste infectus, ut suam praetextu religionis potestatem auget, caput illorum se constituerat, amulatione quoque incitatus adversus Guisios, quod populi Catholici ut fidei Catholicae vindices suspiciebant & venerabantur. Anno itaque 1579. Hugonotti contra Franciscum Regem secundum nomine conspirant, & Ambasi ubi tunc erat clam depositis armis conatur abduere. Re vero per certos indices cognita, Ludovicus Condacis custodia traditur. Sed mortuo paulo post Francisco Rege, proximus ei frater Carolus nonus regnum adit. Sub quo haereticorum furor in apertam rebellionem erupit. Numerosos exercitus rebelles aduxere, adjunctis Germanorum protestantium auxiliis, & quatuor potissimum generalibus praellis dimicaverunt, quarum victricem Dei providentia Catholicis indulsit, nec tamen in officium reducti sunt rebelles. Primo praelio ad oppidum Drocas duo primarii partium duces caesi sunt, ex parte quidem haeretica Condac ab Francisco Guisio Catholicorum duce captus est. Ex Catholica vero parte, Annas Montmorancius Francisci regni Comesabilis in perduellum potestatem venit anno 1561. Secunda pugna Sandonsiana, duabus a Lutetia Parisiorum levis, in qua Catholicae partis dux & Franciae Comesabilis strenue dimicans acceptis vulneribus occubuit. Caeteris tamen Calvinistis, aut in fugam actis, victoria penes Catholicos stetit anno 1567. Tertia postmodum ad Jarnacum in Santonibus edita est, in qua ducente Catholicos Henrico Andegavensium Prin-

cipe, Caroli Regis fratre, Condac mortem oppetit anno 1569. Quarta in Pictonibus ad Moncontour pugna eodem anno & Imperatore facta, in qua haeretici magna strage prostrati. Quinta apud Cotracum, in qua Regii dux exercitus Annas Jozeus sanctius occubuit, magnaque caede Regii attriti sunt ab Henrico Navarre Rege, qui postmodum legitima successione Franciae Regnum obtinuit. In hoc solo universali praelio Hugonotis victoria cessit anno 1577. tertio regnante Henrico. 28. In Belgio, quod Margarita Caroli V. Caesaris legitima filia nomine fratris sui Hispaniarum Regis Philippo regebat, duce & concitatore Ludovico Nassovio Auracensi Principe haeretici rebelles grassabantur. Milites ad hanc provinciam pacandam, & conspiratores coercentes, Ferdinandus Toletanus Dux Albanus, asperitate regiminis, ac praefertim duorum primatiz nobilitatis Comitum Egmondani & Horni capitali supplicio Flandros sic irritavit, ut in apertum bellum profluerint anno 1592. excusso Hispanorum Imperio, quod immo dicis exactionibus insulam reddiderat Albanus. Batavi, quos Hollandos vocant, & Mattiacarum insularum incola *Zelandicas* vulgo nominant, aliaeque conjurate urbes in eam coalescere rempublicam, quae Foederatorum Ordinum vocatur, excluso penitus Catholico Dei cultu.

29. Saeculo isto divinis auspiciis institutus est Ordo Societatis Jesu, auctore Ignatio Lojola nobili Cantabro, quem sanctitate vitae & signis illustrem Gregorius Papa XV. Sanctorum albo ascripsit. Hanc Societatem sanctorum doctissimorumque religiosorum fertile seminarium primum auctoritate Apostolica approbavit Paulus Pontifex tertius die 27. Septembris anno 1540. Prodiit etiam Clericorum Regularium institutum, quos Teatinos vocant, conditore Joanne Petro Carafa nobili Neapolitano, tunc Episcopo Teatino, (unde nomen Teatinis accessit) postea vero summo Pontifice dicto Paulo IV. cui comes accessit Marcellus Cajetanus Tienenus nobilis Vicentinus Protonotarius Apostolicus, qui meruit solenni ritu in caelum canonem referri, hic Ordo ad tria communia Regularium vota quartum adjungit, nullos reditus possidendi, nihilque ad victum petendi, sed solis & ultroneis oblationibus victitandi. Idque institutum Clemens Papa VII. anno 1524. suo diplomate ratum esse iussit. Multae quoque veterum Ordinum Regularium reformationes, & Clericorum accessere congregationes, inter quas Rome insigni edificatione uberrimoque animatum fructu praerata viget Sacerdotum Oratorii Congregatio, cujus est conditor admirandus ille sanctus Philippus Nerius patria Florentinus; quae Congregatio doctissimis scriptoribus Cesare Baronio, Thoma Bosio, Odorico Rainaldo, aliisque insignis meriti nobilitavit.

30. Gravis & plane irreparabilis clades regni Lusitaniae ex bello Africano accepta est anno 1578. Abdemelechus Setiphus Fesse & Maroci Rex de utroque regno, quod antiquis uno nomine Mauritania Tingitana dicebatur, & ad Occidentalem Oceanum seu mare Atlanticum constituebat, cum fratris sui filio Mulejo Mahomete contendebat, quem utroque regno bis acie victum patris deturbavit. Mulejus regno pulsus Sebastiani Regis Lusitanorum auxilium, ut restitueretur, imploravit, qui juvenili ardore, gloriae aviditate incensus open ferro & bello interesse voluit, suis licet dissuadentibus, collectoque exercitu in Africam traiecit. Abdemelechus, quamvis gravi corporis aegritudine conflictaretur, lectica in castra deferri voluit, cumque conferto acri praelio suos titubare animadvertisset, concessit equo suos ad fortiter dimicandum & hostes repellendos incitavit, sed pra vi morbi exhaustis viribus ex equo cadens in lecticam delatus est, admotoque ori digito proximos sibi jam loquendi impotens admonuit, ut suam mortem celarent, qui lecticae repagula adduxerunt, intra quae ille animum efflavit. Ejus vero corpore resumptis animis eo viso alacrius dimicantem, Lusitanas copias luctuosa intereione ceciderunt. Sebastiano strenue adeo dimicante, ut tres equos itibus suffossos mutaverit, suisque in fugam conversis ipse cum paucis in confertos hostes irruens, tandemque viribus ex diuturna & violenta pugna deficiens, repetitis vulneribus confossus est, solo superstiti Nonio Mascaregna, reliquis nobilibus paucis, qui vita suae prodigi Regem deserere noluerant, ad ejus latera interemptis. Hametes, qui fratris Abdemelechi exercitum praeferat, infensus ejus mortis, ad lecticam illius accurrit, de victoria gratulaturus, lacrymis supra corpus fratrum ubertim effusus, a cunctis unanimi assensu Maroci & Fesse Rex est salutatus. Mulejus quippe Mahometes, qui eodem in conflictu alae sinistrae praerat, quemadmodum dextera Sebastianus, inter cadavera repertus est mortuus. Atque ita insolito & singulari exemplo tres potentissimi Reges in una acie ceciderunt. Haereticus

visto